

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.

Band: - (1746)

Heft: 2

Artikel: Oratio funebris, [...]

Autor: Hathuani, Stephanus

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394578>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 18.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ORATIO FUNEBRIS,

qua

Nobili & Generoso, Reverendo ac Clarissimo
Viro,

GEORGIO MAROTHI,

dum viveret, in Collegio Debrecinensi
Eloquent. Hist. & Mathes. Prof. P. Ordinario,
in Amplissimo Auditorum confessu;

SAMUEL SZILAGYI,

Philos. & Ling. Græc. Prof. Ordin.

in Auditorio maior,

COLLEGII DEBRECINENSIS,


moestissimus lugensque,

COLLEGÆ SUO

Desideratissimo, parentavit.

IPSIS IDIBUS JANUARI A. P. C. N.

CICCI XXXV.





AD. * HELVETIOS.

SI. TAMEN. IIS.

HOS. CUIUSQUEMODI. VERSUS.

OCULO. PROPERANTE. LEGERE.

NON. MOLESTUM.

ERIT.

QUis mihi nunc subitus turbat præcordia terror?

Quis dolor en oculos nonnisi flere jubet.

Scilicet, ut densis crescit mage Saltibus ignis;

Nescio cur lacrymæ sic mihi sponte cadunt.

Est aliquid, timeo, mens quod præsaga futuri

Indicat, & pellit gaudia mente mea.

Palli-

* Hanc Orationem, quæ conservat memoriam Viri
de re literaria & scholastica Pannoniæ meritissimi quare
MUSEO HELVETICO intulerini, si forte miraris, lecto
hoc Epiphonemate poetico mirari desines. J. B.

Tom. I.

R 2

Pallida tota meis oculis se monstrat imago;
 Res mihi solliciti plena timoris adeſt.
 Nunc mihi res certa eſt. Mea quid tu Musa moraris,
 Fac versus tristis, flebile carmen eat.
 Tam procul HUNGARICIS ſitus eſt qui Pannon-
 ni oris,
 Illius umbra levis montibus hisce gemit.
 Fallor? an hæc facies, monſtrat TE care MARO-
 THI,
 Vox hæc TE loquitur, vox mihi nota ſatis?
 Ergone, tam facilis via ducit ad infera regna;
 Ante diem tristis TE Libitina rapit?
 Atra mihi fateor lux, terque quaterque ſed illis
 Atrior eſt, quorum fidus Amicus eras.
 Infelix vates, ego nunc videor mihi multum,
 Funera cum cogor dicere, moesta TUA.
 Carmine TU noſtro maior, TE digna nec illa;
 Da veniam fasso, munera noſtra tamen.
 Dicere ſed pietas jubet, & mea verba requirit,
 Verba loquor fateor, prætereaque nihil.

Tuna

Tune igitur moreris, nunquam redditurus ad auras?

O Patriæ Columen, perpetuumque Decus!

Nil nisi sunt planctus, pro TE, per Pannonis urbes:

Qua rapidus volvit fluctibus Ister aquas.

Flent pariter Nymphæ TE doctæ flentque Sorores;

Amissum luget moestus Apollo Decus.

Sed quibus ego prius dicam quod concidis eheu!

His, qui TE blanda sustinuere manu.

Hunc, Vos HELVE' FICI, ornastis tot dotibus

amplis:

Altius ut subito tolleret ille caput.

Ubera læta dedit primum TIGURINUS alumno;

Tum BASILEA diu, BERNA fovitque finu.

Sed VOBIS longam, lingua titubante, salutem

MAROTHIUS dicit, plurima fausta vovens;

RAURACA terra, tuus nuper gratissimus hospes,

En tibi supremum jam canit ore VALE.

Ah felix nato tellus, natusque parente,

Contingant utinam sæpius ista tibi.

Ut tenero quondam vivum complexus amore es,

Sic tumulum fertis condecorato manu.

Suscipe quod supereft tumulo, non mortuus omnis;
Pars animæ chartis melior hisce latet.
Fac legat has omnis, cui virtus quæritur ipsa;
Ut per TE multis notior ille fiet.

In testificationem animi grati, erga Præceptorem
fuum in Mathesi per semestre carissimum,
nunc desideratissimum

L. M. Q. P.

STEPHANUS HATHUANI de HATHUAN
Nobilis Hungarus.

Qui & notas, ubi necessarium vifum eft,
orationi adjecit. Basileæ, Ipfis Nonis
Julii, Anno P. N. C. CI CI CC XLVI.

Specia-

Spectabilis ac Perillustris Vir,
Consul Urbis nostræ
gravissime!

Senatores Amplissimi!

Illustrissime ac Spectabilis, Regi-
minis Spleniani Summe Vigilia-
rum Præfecte!

Venerande Antistes, ac R. V. D.
Ministri!

Professores Celeberrimi!

Iuventus Collegii moestissima, Hospites,
Peregrini atque Auditores omnium ordinum
honoratissimi, æstumatissimi!

QUOTIESCUNQUE mentem meam subit imago
feralis illius diei, quæ VIRUM Nobilem
ac Præstantissimum, GEORGIUM MA-
ROTHI, summo nostro, bonorumque omnium,
dolore ac maximo rei & publicæ & litterariæ
detrimento, nobis eripuit: toties vehementius per-
turbor, & quasi horrore quodam sacro correptus
hæreo ac obstupesco.

Sive enim mortem ejus immaturam, ac plane
inopinatam contempler; sive publicam, quæ lit-
teris & huic in primis Gymnasio, e repentina
tanti VIRI casu impendere videtur, calamitatem,
omnesque spei nostræ & consiliorum rationes,

non turbatas modo , sed pæne etiam eversas considerem ; sive denique privatam , quam cum alii omnes , quibus jacundissima ejus amicitia bearī contigit, tum ego in primis, jacturam fecimus , cogitem : equidem nescio , an majorem unquam cladem una dies nobis adferre potuisset.

Sero intelleximus AUD. quantus fuerit ille VIR, quantumque in ejus unius salute situm fuerit.

Ita quippe homines a natura comparati sumus , ut ad præsentia & quotidiana, quantumvis magna & excellentia ea sint , animum vix advertamus : præterita vero & absentia magis miremur , laudemus atque etiam denique desideremus.

Fuit igitur , fuit inquam exoptatissima illa dies, singulare divini erga nos favoris documentum ; qua incomparabili hoc VIRO , divinaque illa anima frui licuit ; illa inquam dies , qua moestissimam hanc Juventutem Scholasticam , ab eruditissimo & eloquentissimo ejus ore pendentem, amoenissimos veteris memoriæ campos peragratem , vidistis , qua hæc pulpita , has ædes , hoc denique Gymnasium , suavissima ejus voce personare audivistis.

Profecto ubi paullo curatius temporum illorum memoriam respicio , quibus amplissimo coelestis hujus apud nos pignoris ac depositi foenore & dulcissima usura fruebamur : ea nos excidisse felicitate video , quam neque intelligere , nisi inchoatam ; neque vero ex veritate æstimare , nisi affectam , potuimus.

Quare ingratissimus , si VIRUM de nobis omnibus , deque Patria & Ecclesia immortaliter meritum , celebrare negligamus : atque etiam impii,

si virtutum ejus ac meritorum memoriam ex animo nostro effluere patiamur.

Ac profecto, male mihi de VIRIS præclaris illi mereri, posteritati autem pessime consulere, videntur, quorum negligentia virtutes eorum eidem cum corpore mortalitatis conditioni mancipantur.

Ita enim semper existimavi, cum omnes eos, qui Reipublicæ, sive constituendæ, sive etiam ornandæ, operam locarint suam, omnino magni; tum vero maximi eos faciendos esse, quorum præceptis ac disciplina & cives formentur boni, & viri Civitati aut Ecclesiæ administrandæ idonei efflorescant.

Quamobrem ut nostri nobis officii, ac potius pietatis, ratio constet, id opera danda est, ut quum vitam ejus jam nequeamus, memoriam saltem ab interitu vindicemus, eamque, si chartæ vivere queant, æternitati consecremus, futuram quippe miraculum posteris, sæculo exemplum, invidiam denique æmulis, aut etiam, quod Deus avertat, adversariis.

Quanquam vero & majorum auctoritas, & muneris mei ratio, & commune amicitiae ac Collegii, vinculum in hanc me palæstram vocent; tamen sunt AUD. quæ id mihi cogitanti timorem incusserunt, quæque etiamnum animum terrent.

Neque enim, ut de hoc genus orationum apud nos novitate ac *insolentia* nunc taceam, ea mihi aut ingenii vis est, aut dicendi exercitatio, ut virtutes ejus, non dicam exornare, sed enarrare, ut par est, possim; Et vereor, ne male me, sive EJUS, sive meo ipsius, honori

R 5 consu-

consuluisse plerique judicent, si magnitudinem virtutum ejus cum orationis nostræ tenuitate comparabunt.

Evidem, quum hanc mihi provinciam decrevistis, Amplissimi Proceres, uti benigne admodum de me, meaque in dicendo facultate, sensistis: ita melius profecto de dolore meo judicassetis, si aut mihi tacendi veniam dedissetis, aut hanc loquendi necessitatem alii imposuissetis.

Ego certe nunquam illum melius, quam silentio, ostendere poteram; Et vereor, ne, si nondum aliquod a vetustate & consuetudine levamentum habeat, cum pudore nostro pietatem suam prodat.

Sed imperandum animo est, & quamvis justus sit, quo premimur, dolor, tamen moderate ferendus, opera denique danda, ne majorem nostri, quam ILLIUS, rationem habuisse videamur.

Ceterum dubito, quemadmodum de virtutibus ejus exponam. Nam nec tenuitas mea patitur, ut omnia explicem, & præterea amplitudo earum facit, ut pleraque leviter tantum attingere, multa etiam omittere omnino debeam.

Jam primum, si quæ a natalibus Virtuti commendatio possit accedere, habuit NOSTER hinc quoque, quo se tueri poterat, quanquam miser omnino si voluisset. Etsi enim Nobili natus sit familia, tamen gloriam illam ac dignitatem, quam sola virtute consequutus fuerat, neque accipere a majoribus, neque etiam impertiri familiæ potuit suæ. Enimvero sola est Virtus, quam nemo unquam hæreditate crevit; quanquam nec dare qui possident, neque etiam accipere ab aliis possunt, qui non habuerunt.

Cete-

Cetera corporis bona sunt, quæ uti non habuimus quum nasceremur, ita morientes aliis relinquimus. Nobilitas, opes & potentia & honores denique, fortunæ plerumque favore, aut majorum virtute censemur, raro nostra. Et ubi semel de Humanitate nostra natura statuit, hæc omnia evanescunt, Virtus clara æternaque habetur.

Quare ita existimo, cum valde miserum esse virtute destitui: tum vero longe miserrimum, id quod a virtute, qua careas, impetrare nequisti, a Nobilitate, ab opibus, aut ab honoribus emendicare, quorum illa quidem majorum, hæc partim fortunæ, partim vulgi, nulla vero prorsus nostra sunt.

Jactent igitur alii hæc aliena, atque alios, quorum vel humiliores fuere Natales, vel longa imaginum serie minus illustres, præ se fastidian: nunquam tamen efficient, ut aut majorem inde nomini MAROTHIano claritatem arcessamus, aut aliquid illi gloriæ decadere posse vereamur.

Patre enim ortus fuerat VIRO Amplissimo ac Spectatissimo, GEORGIO MAROTHI, post varios in hac Civitate peractos Magistratus extremum Consule; VIRO pietatis, justitiae, fidei ac integritatis laude florentissimo. Cujus tamen nomini (ignoscite piissimi Manes) nescio an plus celebritatis addiderit NOSTER quam acceperat. Primus certe splendorem illum in familiam suam intulit, quam nemini unquam favor regius, aut popularis conciliavit benevolentia. Quare hoc major Patre, quod acceptam ab illo gloriam non modo servarit, verum etiam iis auxerit praesidiis, quæ Patri defuere.

Multum tamen HUIC NOSTER debuit. Nam ut inde ordiar, quod plerique parentes reliquis suis curis postponunt, ita a Patre educatus est, ut animum ejus veræ pietatis, modestiae ac humanitatis studio innutritum, ad doctrinas adferret. ita institutus, ut Virtutem non tam didicisse, quam haussisse videretur, & bene prius agere, quam loqui, sciverit.

Videbat nempe VIR Sapientissimus eos, qui filios suos vixdum balbutientes Magistris tradunt, ipsi vero omnem eorum curam abjiciunt, magno conatu maximas certe nugas agere, & hoc denique lucrari, ut filii sui mature sine ratione loqui, hoc est, ut mihi quidem videtur, cum ratione insanire discant. Qui utinam dimidium operæ, quam agris suis, aut vineis, aut equuleis impendunt, filiis locare dignarentur.

Itaque diligentí Patris institutione effectum est, ut & Studia illa, quibus puerilis ætas impertiri solet, celerrime arripere, & animum ad severiores disciplinas maturius adpellere potuerit: In quibus omnibus ita postea versatus est, ut nullam neglexerit, nisi quæ infra ingenium posita esset suum.

Elucebat quippe, jam in puerō, mira ingenii sagacitas, tum excellens memoria, & quod ne in adultis quoque vulgare est, judicii vis ac constanza incredibilis. Vix sextum egressus annum Syllogismos nectebat, gryphos & ænigmata solvebat; &, quod prodigo proximum multis videbitur, arithmeticas quoque rationes evolvebat.

Emicabant præterea e puerō igniculi sinceræ erga Deum pietatis & religionis.

Qua.

Quare, quum libros quosvis libenter legeret,
Sacri tamen Codicis lectione majorem in modum
delectabatur.

Et quemadmodum ea, quæ legebat, facile
percipiebat, ita eorum memoriam tenacissime
etiam comprehendebat.

Quis quæso sine admiratione audivisset, pue-
rum prætextatum Historias quaslibet sacras ex-
peditissime recitare, exempla virtutum & vitio-
rum e Libris sacris commemorare? & (o divinum
Puerum!) regulas etiam vitae omnis & actionum
instituendarum, indidem pro re nata expromere?

Jam quantopere a vitiis omnibus, quibus te-
nera illa ætas fere obnoxia est, abhorrebat? quan-
to erga Parentes, Præceptores & maiores quos-
vis cultu ac obsequio, quanto denique erga æqua-
les amore & æquitate ferebatur? & quod mira-
culo par propemodum est, ne iis quidem ludis,
quibus pueri nostri nimium quantum delectantur,
(qui tamen, ni modum excedant, ferendi omnino
sunt) capiebatur.

Plane quod de Alexandro Magno memoriæ
proditum est, qui puer admodum eas jam res tra-
ctabat atque illas artes meditabatur, quibus uni-
versum postea terrarum orbem domuit, talem-
que se fore jam tum ostendebat, qualem se po-
stea comprobavit.

Quum igitur NOSTER, & felix a natura na-
ctus esset ingenium, & præterea domesticis exer-
citationibus maturum, brevi eos in litteris infe-
rioribus progressus fecit, ut ad Philosophicas Theo-
logicasque Acroases, vixdum posita prætexta, ad-
missus fuerit.

Quod

Quod eo magis mirum ea ætate extitit, quod quæ illorum temporum, & nostra quoque fuit infelicitas, neglectis sinceroribus puræ latinitatis fontibus, impuris Comenii, aliorumque id genus tenebrionum lacunis, pueri macerabantur; perque laboriosissimas eorum nugas circumducebantur. Quas profecto qui unius hodie æstimanda assis putant, non magis mihi sapere videntur, quam bene olere, qui in culina habitant.

Si quam tamen hinc NOSTER labem contraxisset, eam maturiscentis postea ætatis diligentia deterret. Nam præter paucos, qui tum in Schola nostra terebantur linguae latinæ Auctores non optimos, & Ciceronem, & Cæsarem, & Nepotem, & Livium, & quidquid usquam aureæ ætatis Scriptorum est, quod immanitati barbarorum sæculorum Scrinia libraria subduxerunt; & diligentissime versabat, & imitatione etiam felicissime exprimebat. Quo factum est, ut ea jam ætate, unus omnium eloquentissimus haberetur; atque ad veram latinitatem, sedibus suis quasi postliminio restituendam, ab omnibus destinaretur.

Itaque quum omnium jam oculos animosque in se convertisset, summamque apud omnes de se spem ac expectationem excitasset, anno hujus Sæculi XXXI in exteris Academias, hortatu in primis Vestro Rev. ac Clarissimi Professores, a Patre missus est; quo amplissimo doctrinæ omnis ac eruditionis adparatu capacissimam locupletaret animam; matureque illis instrueretur copiis, quibus litterarum olim majestatem tueretur.

Equidem non defuere, qui prudentissimum hoc VIRI summi consilium improbarint, quod adolescent-

lescentiæ ejus, quam lubricam admodum & mobilem esse ajebant, metuerent.

Sed vanum hunc fuisse timorem, eventus postea comprobavit. Nam apud exteris ita se gesit, ut bonis omnibus carus fuerit & laudatus. Et quemadmodum domi Paterna dignitate sustinebatur; ita foris eam sustinendam existimabat.

Ceterum quum probe nosset, hunc principem esse peregrinationis finem, ut in vitas hominum tanquam in speculum inspiciamus, & regulas virtutæ prudenter instituendæ colligamus: ne mutus & surdus inter homines oberraret, Lingua prius Germanicam familiarem sibi reddidit. Intelligebat scilicet Adolescens Prudentissimus, illis, qui regiones exteras peragrare instituunt, earum vero linguae ignari sunt, idem plane quod speculis evenire; quæ utut imagines hominum obviorum admittunt, mores tamen eorum & instituta haud concipiunt.

Primum igitur Helvetiam, fœcundissimam illam præstantissimorum ingeniorum altricem adiit, atque in Academia Tigurina publica privatave summorum Virorum usus manuductione, ea cum politioris Litteraturæ, tum sublimiorum Disciplinarum posuit fundamenta, quibus vastissimum postea doctrinæ omnis adparatum superstrueret. Quare, jam non tantum quidquid Scriptorum vetus Græcia aut Latium protulerant feliciter evolvebat; verum etiam Mathematicis, Philosophicis & Theologicis instructus præsidiis, in angustissima eruditionis penetralia viam sibi emunierat.

Hinc vicinam Bernam, ac denique Basileam sese contulit, ubi TUA in primis, Clarissime BECKI,

BECKI, familiaritate & nunquam satis laudanda humanitate adjutus, dici non potest, quantis accessionibus litterarium suum penum locupletavit.

Ceterum quantum apud Helvetios famam & existimationem meruerit, cum ipse testis sum, tum omnes quotquot ibi versantur Nostri abunde experiuntur. Nam mira morum suavitate atque excellenti eruditione omnes omnium ordinum ac dignitatum Viros adeo sibi devinxit, ut quod paucis certe Hungarorum contigit, ad amicitiam etiam Illustrium Virorum admissus fuerit. Quam ille uti sola Virtute consequutus fuerat, ita eadem tuebatur, & quanquam favorem aliorum minime ambierit, tamen oblatum ulti religiosissime coluit.

Dum vero apud Helvetios commoratur, operæ suæ pretium a Vobis quoque tulit Ampl. Proceres. Nam quem uno jam omnes ore communibusque votis ac suffragiis Scholæ Vestræ ornandæ designabant, eum ad publicam Historiarum, Eloquentiæ ac Mathezeos Professionem honorificentissime invitastris. Qua quidem in re nescio an melius illi, quam Scholæ huic Vestræ, consulueritis? Certe matura hac Vestræ erga eum voluntatis significatione effecisti, ut de iis mature subsidiis cogitarit, quibus non sibi tantum & Musis suis, verum etiam Juventuti Scholasticæ atque adeo Patriæ etiam suæ servivit.

Quare, quo amplius adhuc suppellectilem suam litterariam instrueret, in Belgium, amoenissimum illud Musarum domicilium profectus est, & peragratis inlustrioribus ejus Academiis, excussis Bibliothecarum celebriorum forulis, salutatisque Viris Eruditissimis omni fama celebratissimis, quos

quos vel vidisse magna pars felicitatis fuit, extre-
mum Groningæ substitut, & quod supererat otii,
illud omne eo contulit, ut res ad munus suum
jamjam capessendum propius pertinentes undique
conquireret, quo instructior omnium rerum neces-
sariarum adparatu illud adgrederetur.

Tandem igitur sic volentibus Vobis, Amplissi-
mi Proceres, cursui suo Academico post exactos
VI solidorum & quod excedit annorum labores,
finem fecit, Patriæque suæ singulari Divini Nu-
minis favore, salvus & incolumnis redditus est.

Quam tam præclari Civis & exspectatissimi
Hospitis adventum dici non potest quanto cum
gaudio & gratulationibus boni omnes acceperint.
Nam quemadmodum dudum optime de eo spe-
rabant; ita jam confidebant fore, ut hoc Hercu-
le Scholæ nostræ a barbarie, velut alterum
Augiæ stabulum, repurgarentur, litterisque honos
suus ac dignitas restitueretur.

Intelligebat equidem NOSTER, graves hinc
sibi labores ac ærumnas incumbere; neque unius
esse hominis, hoc tantum opus exsequi: Erigente
tamen modestiam ejus spe divini favoris, quem
cum alias semper, tum cum maxime propensi-
simum erga se, conatusque suos experiebatur,
& Vesta quoque, Clarissimi Professores, promis-
sima erga litteras voluntate excitante, manum
operi admovit, munusque suum, elegantissima
prius ac eruditissima Oratione, de varia humanio-
rum litterarum inter Christianos fortuna, publice
recitata, ipsis Kal. Aprilibus Anni supra M DCC
XXXVIII auspicatus est. (*) Quan-

(*) Hæc sane oratio monstrat, quam latino ore MA-
ROTHIUS loqueretur, atque quid in eo genere dicendi

Quantam vero eruditionem, ad Spartam hanc suam ornandam adulterit, testantur cum tot egregii ac litteratissimi Juvenes, qui e Schola ejus prodiere; tum eruditissimi illi labores, quos partim Juventuti litteris omnibus instituendae consecravit; partim publica luce donavit; partim denique amplius adhuc expoliendos ac locupletandos elucubravit. Ego certe nunquam sine ingenti admiratione cogitare potui, hominem nondum quinque lustra egressum, ad illud eruditionis omnis fastigium ascendisse.

Quis enim unquam majori cura' ac studio omnia græcorum latinorumque Scriptorum monumenta perlustravit? Quis utriusque linguæ elegantias, ac proprietatem, aut melius perspexit, aut felicius expressit? Quis temporum omnium memoriam, omnemque humani generis historiam diligentius complexus est? Quis populorum omnium instituta, mores, ac religiones, curatius investi-

potuerit, duabus id insuper Orationibus evictum dedit. Priore, Spectat. Dominum GEORG. COMAROMI Inclyt. Comitatus Bihariensis Tabulæ Judicariæ Alfefforem in concione funebri, ubi magna Procerum Hungariæ multitudine confluxit, laudaverat; alteram autem de variis fatis Philosophiæ publice recitavit; Erat hanc orationem perorandi insignis occasio: Cum enim Ampl. Senatus Debrecinensis liberalissime splendidum fatis Auditorium Physico Mathematicum in Collegio erexisset; ipsi hæc provincia demandata est, ut præsente ipso Senatu, VIRIS Ecclesiæ adscriptis, Professoribus, & Juventute Collegii, sollemniter illud iis usibus dedicaret. Quæ tamen singulæ ejus orationes, quantum scio, in scriniis Viduæ defuncti delitescunt, blandioresque soles, & tempora meliora expectant.

vestigavit? Nonne cum stupore audiebamus, EUM, si quæ veteris memoriae pars, in familiarem incidisset sermonem, omnem illam e vestigio enarrare, atque etiam tempora, ad quæ illa pertinet accurate demonstrare?

Jam in Philosophicis disciplinis quantus fuerit, nemo nisi hospes in his studiis ignorat; Neque etiam, quod plerique hodie litteratores faciunt, in historia populorum substitut, verum, quo perfectissimam totius Universi ideam animo includeret, ad philosophicas etiam divinarum humanae rerum contemplationes animum adjectit. Videbat nempe VIR Præstantissimus, illa prudentiam civilem, hac vero Sapientiam omnem terminari. *Etsi illam Cicero Remp. beatam indicavit, in qua aut Philosophi regnent, aut reges philosophentur,* ita demum NOSTER quoque, beatum se fore existimabat, si omnia illa studia animo complecteretur, quibus omnis & civitatis administrandæ & vitæ etiam constituendæ ratio continetur.

In Mathematicis vero scientiis, sine quibus nec historiis ordo, nec Philosophiae veritas constat, utrisque autem certitudo deest, eo progressus est; ut nihil fere, quod quantitatis nomine insigniri solet, ignorarit. Et quoniam *Algebram*, extremum illum ingenii humani conatum, ac rerum abstrusissimarum clavem, tenebat, nihil omnino habebat, quod aut ingenii EJUS, aut judicii excessisset limites.

Quare Mathezeos in primis studio, id consequutus est, ut & invenire quidvis, & dijudicare solertissime potuerit.

Nam ut illud quoque moneam, in arte etiam *Critica*, cote illa, ac potius Scopulis ingeniorum, ita versatus est; ut non tantum menda, quæ pleraque veterum Scriptorum monumenta, sive de scriptorum oscitantia, sive etiam sciolorum hominum levitate, dicam, an ignorantia fœdarunt, emendare, verum etiam difficiliora eorundem loca, & quæ abeuntibus in diversas partes Interpretum sententiis obscuriora saepius, quam clariora fiunt, felicissima conjectura expedire sciverit. Quorum quum priori tantum Criticen omnem hodie finiant, in posteriori autem veteres artem omnem posuerint; NOSTER quum utraque junxit, utrosque æquavit.

In Astrorum porro, atque universi palatii cœlestis contemplatione, quantam locarit operam, quantusque fuerit considerator, cum insignis ille, & non sine rei familiaris dispendio collectus, Astronomicorum instrumentorum adparatus, tum tot evigilatæ noctes, accuratissimæque cœlestium corporum & motuum observationes, ostendunt.

Qua in re nescio an diligentiam potius ejus, quam pietatem laudem?

Nam quemadmodum interdiu communem cum aliis operum divinorum usum habebat: ita quum alios ab hoc, nocturna quies, aut somni portæ arcebant, solus aulam cœlestem frequentabat. Et quia oculos in augustissima ejus penetralia inferre vitæ mortalis conditio nondum sinebat, extremæ saltem faciei ejus speculacione, animum cœlesti habitationi adsuefaciebat.

Sacram denique *Theologiam*, quam Reginam omnium esse scientiarum existimabat, tanto majori

jori studio coluit, quo magis persuasum habebat, ceteras disciplinas ad vitæ hujus sive commoda, sive etiam ornamenta pertinere, hac vero sola æternam animarum felicitatem contineri.

Illam vero divinæ hujus scientiæ partem reliquis anteponebat, qua animus & salutari divisorum veritatum fide instruitur, & saluberrimis vitæ omnis & actionum componendarum præceptis informatur. Rixas vero, & jurgia Theologorum, quæ reipublicæ Christianæ plurimum nocent, aversabatur, neque illum strenuum veritatis esse defensorem existimabat, qui ætatem in controversiis contrivisset, aut dissentientes apud rudem plebem traducere didicisset, sed qui & fidei suæ rationes perspectissimas haberet, & veritatem ad conscientiam aliorum demonstrare posset, & fortiter denique in arena adversus tela hostium consistere auderet.

Quamobrem in id præcipue enitebatur, ut ea sibi e Theologia præsidia conquereret, quibus se in primis, adfectusque suos, divinæ imperio voluntatis subjecere, tum adversus mali dæmonis, depravatæque naturæ insultus ac illecebras pectus firmare posset.

Norat nempe VIR Sanctissimus, non in eo fortunas ac salutem animæ nostræ verti, ut deformationem quandam Christianorum dogmatum, aut historiam hæresium memoria teneamus, verum ut vitam, ad perfectissimum Christianorum Virtutum Exemplar componamus, doctrinæque, quam profitemur sanctitatem actionibus etiam nostris demonstremus.

Ceterum in his omnibus scientiis tantus omnino fuit, ut nescieris, in quam earum excelluerit. Profecto quotiescumque EUM ego intuebar, vivum quoddam Lexicon aut Bibliothecam ambularem videre mihi videbar. Ut adeo nihil illi, nisi splendidius, in quo virtutes suas, ac eruditionem explicare amplius posset, theatrum defuerit.

Sed quis unquam, cum tanta doctrina, tot linguarum & tam accuratam intelligentiam conjunxit. Nam praeter *Græcam* & *Latinam*, in quibus principatum tenebat, aut *Ebream*, in qua non mediocriter fuit exercitatus, aut *Hungaricam*, quam vernacula habuit, *Germanicam*, *Belgicam*, *Anglicam*, *Gallicam*, atque etiam *Italicam* callebat; quarum qui duas aut tres hodie teneant, paucissimos; qui omnes, neminem profecto apud nos repereris, quarum tamen pleræque, pariter me, ac *Græca* aut *Latina* utilitate sese commendant.

His igitur instructus copiis, quantum Musis opem ferre, quantumque publicum Collegii, aut Ecclesiæ, emolumentum promovere potuerit, nemo non videt; At quantum aut voluerit, aut etiam fecerit, cum ardentissimum illud, quo totus intus flagrabat, erga gloriam Divini Numinis studium, tum pertinacissima illa, ac plane stupenda diligentia, qua in se suisque omnibus Deo & Ecclesiæ impendendis utebatur, ostendunt.

Nam ut inde ordiar, quod ne omnes quidem Theologi ad se pertinere judicabunt; dici non potest, quanto Ecclesiæ Christi commodis, ac utili-

utilitati serviendi studio flagravit. Quanquam enim laboribus scholasticis obrutus ferme fuerit, quia tamen Scholas Ecclesiæ esse Seminaria intelligebat, eo curas omnes ac cogitationes consultulit, ut collapsis propemodum Ecclesiæ rebus succurrere, atque ejus ulceribus, quibus intus forisque foedata proh dolor! jacet, mederi posset. Neque enim alienum hoc a persona sua existimabat; ut qui Verbi Divini Ministerio, atque adeo Ecclesiæ ipsi, in splendidissima Presbyterii Basiliensis Synodo, Sacramentum dixisset.

Quare, quum a publico sanctissimi illius munieris exercitio, aliorum vocante supremo Ecclesiæ Imperatore, arceretur: in eam illius partem, quæ uti præcipua est, ita plerumque negligi solet, quæque in Ecclesiæ cura constituit, laborare decreverat, totusque in eo erat, ut & morbos, qui hodie longe lateque in Ecclesia grassantur, & tamen o tempora! multis ignorantur, a pluribus vero dissimulantur, indicaret & saluberrima illis sanandis consilia præstantissimamque medicinam monstraret. (*)

S 4

Qua

(*) Huc pertinet id, quod Ampl. Senatui Debrecensi ipse auctor fuit, ut Venerandi OSTERVALDI fontes corruptionis typis excuderentur. Cujus consilium, quanti Senatus fecerit, vel ex hoc intelligi potest, quod cum ipse per alia, quæ moliebatur opera, a translatione elegantissimi libelli avocaretur; (quanquam jam tertiam partem, vel paullo amplius, ex Gallica lingua, in Hungaricam ipse transtulisset) quatuor statim Viri, ut liber quanto citius in lucem emitti posset, reliquum opus absolvendum in se ultro susceperunt. Primus fuit SPÉCTABILIS Dom. MARTINUS DOMOKOS, urbis De-

Qua in re nescio an pietatem potius ejus quam animi magnitudinem admirer? Quanquam enim paucissimos , qui paria cum ipso facere vellent, plurimos vero renitentes haberet; nunquam tamen a sanctissimo illo suo Instituto dimoveri se passus est: sed quo maiores ea in re difficultates & graviora obstacula offendebat, eo magis instabat , & contra audentior semper ibat. O Pectus Numinis plenum! O animum & robur vere Herculeum! O denique pietatem VIRI ac constantiam incredibilem!

Quantam vero Juventuti scholasticæ, publice privatimve instituendæ & formandæ diligentiam impenderit, renatae EJUS imprimis ductu ac auspiciis litteræ, & innovata totius scho- lœ facies loquuntur.

Primus certe, quod vel invidia fatebitur, dissipata, quæ scholas nostras tenebat, barbarie, purioris latinitatis & Romanæ Eloquentiæ fontes aperuit, atque ostendit Juventutem quoque Hungaricam latine, si idonea accedat institutio, loqui posse.

Primus litteras græcas, quibus omnis fere eruditio originem debet suam, e diurno exilio revocavit.

Pri-

Brecinensis Consul, tum Perillustris Dom. Samuel SZEREMLEI, inter Senatores Primus & Collegii Debrec. Curator, item Experientiss. Dom. Georg BUZINKAI, urbis ejusdem Physicus & Med. Doctor, denique Clariss. Dom. Samuel SZILLAGYI Professor, qui etiam editionem libri procuravit. Inviderunt fata MAROTHIO id, ut typis expressum videre posset, ipse enim prius, quam liber prodiret, diem obiit supremum.

Primus *Geographiam universam*, græcamque
ac romanam *Archæologiam* in Schola nostra expo-
suit.

Primus *Mathematicis Disciplinis* Juventutem
Scholasticam imbuit.

Primus *Musicam Sacram* veramque canendi rationem ostendit.

Primus, ne quid dissimulem & reliqua, repurgatam a nugis & fabulis philosophandi rationem demonstravit.

Primus denique, libris optimis indefesso labore ac studio undique regionum collectis, & Bibliothecam publicam ornavit, & Juventutem studiosam locupletavit, & quod de Cerere Athenienses praedican, frugibus eam vesci docuit. (*)

S 5

Quare

(*) Cum enim adolescentes ii, qui prima elementa Latinitatis discebant, vel qui in Grammatica atque Syntaxi versabantur, nulos alios ad latinitatem comparandam auctores, præter Commenii arenosa VESTIBULA, & male cohærentes linguae latine JANVAS, ad manus haberent, HIC effecit, ut in usus eorum, qui in Declinationibus & conjugationibus exercentur, vocabula primitiva CELLARII; Grammatistis vero colloquia LANGII typis mandarentur. Insuper, libri memorialis CELLARII exemplaria, ex aliis locis adferri curavit, ut haberent tirones, unde puræ latinitatis vocabulorum copiam compararent. Non absimiliter in usus syntaxistarum CORNELIUM Nepotem edidit; atque ne coeci in luce historiarum versarentur, sed qualemcumque situs regnum notitiam haberent, chartas etiam geographicas iis procuravit. Poetis PHAEDRI fabulas cum PUBLII SYRI sententiis, Oratoribus Minucii Felicis OCTAVIUM, EUTROPIUM, brevibus notis a se illustratos, in manus dedit. Taceo, quod CICERONIS Epistolis, JUSTINI

Quare si Solonem Athenienses, aut Lycurgum Spartani, aut Pompilium Numam Romani celebrarunt, quod præstantissimis, suam quisque rem publicam, institutis illustrarint: multum profecto TIBI Divine MAROTHI debemus, quod utilissimis artibus ac disciplinis Patriam ornaris TU-am, Scholamque nostram illis instruxeris præsidiiis, quæ posteritati ad arcem eruditionis facem prælucebunt.

Et si

Historiarum libris, NIEUPORTI Antiquitatibus Romanis, HEINECCII fundamentis styli & pluribus aliis, ex aliis regionibus adlatis, eos locupletavit. In gratiam autem Matheos studiosorum ARITHMETICAM Hungarica lingua ipse elaboravit; & quomodo ea, sive ad res eas, quæ in commercio sunt, sive ad varias partes Matheos applicari posset, demonstravit, eamque publici juris fecit. Qua ratione vero & pueri notitiam veræ religionis historicam habere possint, hoc sine, Reverendi Joh. Frid. Osterwaldii Historiæ Sacræ compendium ex gallico in hungaricum transtulit. Cum vero videret, etiam studiosos optimarum disciplinarum, sine ulla lege & certo numero canere; ut communis huic malo aliquomodo mederi posset; primum quidem, versus tantum primos Psalmorum Davidis, cum sola ea melodia, quam Musicorum filii Tenorem vocant, Hungarice edidit; mox post aliquod tempus, cum quatuor concentibus harmonicis, Discantu, Tenore, Alto & Basso, itidem Hungarice, adjectis in fine etiam compluribus magis artificiosis melodiis, prelo subjicit. Lexicon etiam Hungarico Latinum, in usus juventutis Hungaricæ elaborandum, jam sub manibus habebat; idque ad litteram F (quantum mihi de eo constat,) produxit. Huic tamen operi, magno juventutis damno, immortuus est. Tantum enim de eo possum polliceri, vel ex duabus pagellis, quas Basileæ, tentaminis gratia a Typo-

Et si per se loqui Scientiae possent, maximas omnino gratias TIBI agerent, quod TUUM Patrocinium commodare, earumque majestatem vindicare volueris.

Ceterum, ut magnae omnino sint & excellen-tissimae virtutes, quibus munus suum publicum MAROTHIUS Noster illustravit, nihilo tamen illis minores sunt, quas in vita civili exhibuit.

Nam qui præcipuus solidæ eruditionis fructus est, tanta illi inerat modestia, ut ambitiosores virtutum suarum laudatores ferre nunquam potuerit. Tam alienus ab omni ambitione aut ostentatione fuit, ut sinistras potius aliorum opiniones experiri voluerit, quam inanem apud vulgus famam ac gloriam auçupari, semperque probus & doctus esse, quam videri maluerit.

Jam

grapho excusas vidi, quod si ad umbilicum opus hoc perduci potuisset, omnia ea, quæ MOLNAR, P. PA-PAI conscripserunt Lexica; hoc unicum multis passibus post se reliquisset & utilitate vicisset. Neque id negligendum esse censeo, quod nunc tandem mihi, cum hæc oratio ad typographum dimittenda esset, in mentem venit; quod, cum NOSTER Groningæ versaretur, Dissertationemque Dom. Reverend. ac Celeb. GERDES, Prof. de Synagoga Libertinorum publice examinandam proponeret, MAROTHIUS Defendantis munere functus est: Ne autem in scena tantum præconis officium obiret, & ex tam nobili theatro ἀσύμβολως discederet, Miscellanea etiam sua, quæ 12 & quod excedit, paginas occupabant, adiunxit. Ea sane ejus sunt generis, quæ clarissime & evidentissime monstrant, EUM non solum Theologum præstantissimum, sed Philosophum, Mathematicum, Historicum, Litteratorem, Criticum denique etiam peritissimum fuisse. Prodiit ea Dissertatio Groningæ.

Jam illam vitæ integratatem, morumque Sanctitatem, quam in omni vita præ se ferebat, quis unquam digne laudaverit? Quanta porro in laboribus, quibus usque obruebatur, perferendis patientia, in adversitatibus, quæ cumulatim ipsi impendebant, solertia ac constantia, quanta erga superiores reverentia, erga æquales benevolentia, erga universos humanitate usus fuerit, illi tantum ignorant, quibus hominem videre negatum fuit.

Nulli unquam molestus aut gravis, sed blandus & comis erga omnes fuit. Injurias aliorum fortiter tulit, neque ulli unquam reddidit. Amicis paucis, sed optimis, usus est, & amicitiam semel contractam sanctissime coluit, neque ullam suorum erga amicos officiorum partem desiderari passus est. Ita enim existimabat, cum quemvis hominem Christianum, tum in primis Humanitatis Professorem & Juventutis moderatorem, his virtutibus instructum atque incoctum esse oportere, & flammis omnino libros omnes exurendos esse, si ab illorum lectione doctiores & non meliores abeamus. Quod piissimi Symbolum, utinam litterati omnes libris, animis suis, inscriptum gerant!

In vita denique conjugali, quam cum ad evitandas curarum domesticarum molestias, tum ad leniendas laborum scholasticorum ærumnas, tertio post suscepsum munus mense, cum elegan-
tissima Virgine CATHARINA SZOEDI, TUA plurimum Venerande Antistes filia carissima, & non leni hodie Viduitatis TUæ solatio, inierat,
quam præclarum blandissimi amoris, castitatis
ac fidei, omniumque, quæ conjugibus ornamento
esse

esse possunt , virtutum exemplum exhibuerit ,
notius est , quam ut mea indigeat oratione .

E quo tamen matrimonio unicam tantum ,
eamque infantem filiolam *Catharinam* superstitem
sibi reliquit : Georgio & Catharina priore cœle-
sti civitati jam dudum insertis .

Ceterum , uti excellens virtutum omnium
specimen in eo natura dedit , ita Divinæ illi ani-
mæ pulcherrimum etiam domicilium indulxit .
Erat enim Statura mediocriter procera , corpore
ad obeunda animæ imperia alaci & sic satis ve-
geto , membris denique ad decorem mire com-
paratis .

Jam quanta ori inerat suavitas ? quanta vul-
tui gratia ? ille denique totius corporis habitus
ad gravitatem decentissime compositus , neminem
profecto nisi saxum movere nequivissent .

Quid vero de summa hominis urbanitate , &
sermonibus blandissimo sale & jucundissimo le-
pore conditis dicam ? satuus profecto ac me-
rum rus fuerit oportet , cui displicere hæc po-
tuissent .

Itaque ubi tot tantasque animi ac corporis
dotes in unum natura hominem contulit , ne-
scio an non aut nimium sibi tribuerit , aut saltem
opes omnes suas in hoc fingendo prodegerit .

Sed o miram rerum humanarum vicissitudi-
nem ! o caducam vitæ humanæ conditionem !
tunc plane , quum læta omnia ac prospera de
laborum ejus ac conatum successibus nobis
spondebamus ; ecce subito atrocissimis dysente-
riæ doloribus corripitur ! Igitur peritissima sta-
tim Exc. Medici ac Præstantissimi Physici nostri

ma-

manus imploratur. Qui quanquam operam omnem, qua erat erga Nostrum fidelitate, impenderit, ut laboranti amico opitulari, morboque ejus mederi posset, tamen pertinacissimum malum medicinam omnem respuebat.

Quare incremente indies morbi violentia, & absuntis brevi naturæ viribus, post quintum a primo morbi insultu diem, die XVI Octobris proximi, gloriofissime, emenso annorum undetriginta, mensium octo, & quinque dierum spatio, inter sævissimos dolores animam cœlesti suæ patriæ reddidit, nihilque nobis præter tristissimas corporis sui exuvias reliquit.

O Diem Patriæ, Ecclesiæ, Scholæ ac nobis denique omnibus luctuosissimum! O Diem infitarum calamitatum prænuntium! O Cladem litterarum inæstimabilem!

Quid dicam AUD. MAROTHIUS nobis abiit! Abiit, inquam, ille sæculi sui Phœnix; illud Patriæ decus ac ornamentum singulare; ille, inquam, noster amor & delicium nobis abiit.

Sic igitur una dies & Scholæ Professorem, & litteris statorem ac vindicatorem, & Ecclesiæ spem & solatium eripuit, eademque & Litteratorem summum, & Historicum Præstantissimum, & Mathematicum incomparabilem, & Philologum præclarissimum, & Hungaricæ Juventutis Præceptorem fidelissimum, & Civem optimum, & hominem denique communi humani generis utilitati, ac bono publico natum, ac denique vere Christianum extulit!

O Pu-

O Funus publicum! O casum nunquam satis deplorandum! O damnum nullis unquam fæculis reparandum! O tristissimum Amici, Fratris ac Collegæ desiderium.

In quæ igitur nos tempora servamur Cives?
aut nondum forte iram divini Numinis agnoscitis?

Nam profecto, quotiescumque jacturæ, quam fecimus, gravitatem mecum reproto, vereor, ne dies illa, quæ feralis MAROTHIO fuit, Ecclesiæ quoque sit funestissima. Certe enim nescio quid magni alicujus mali præsaga mens timet! Avertat Deus malum omen, & si nondum ejus Numini litatum est, TU ô REX Ecclesiæ, (TUa enim hic res agitur,) infinita TUI Sanguinis Virtute nos expiabis.

Sed desino! neque enim plura proferre dolor finit.

Extremum igitur nobis vale MAROTHI desideratissime, cœlestemque illam animam, post exactos feliciter in his terris labores, quos Divina TIBI Providentia imposuerat, intima ac perenni Divinitatis fruitione pasce!

Nos quoque, quocunque supremus NOSTER IMPERATOR voluerit, ordine, TE sequemur. Jucundissimam TUI, virtutumque TUarum memoriam nulla unquam ex animis nostris delebit oblivio. DIXI.

Epigramma in defunctum MAROTHIUM.

Ecce vetus VIRTUS in TE juvenescere cœpit,
At SCELUS & VITIUM confenuere simul.

In ejusdem tumulum.

Si quæris Lector, Statuas, cur Marmora nulla
Pannoniæ cives huic posuere Viro?
Define mirari; monumentis indiget ille,
Unica quem totum condidit urna brevis.
Hic nisi sunt cineres, melior pars fæcula multa
Vivet, quod tristes nesciat illa rogos.

Aliud.

Cur lapis hic nullus? quæris si Lector Amice,
Nec decorat signum nobile busta Viri.
In promptu caussa est: Lapidem quis poneret illi,
Aurum qui vicit moribus ipse probis.

Hæc etiam epigrammata Meinoriæ
Venerandi & Nobilissimi Viri
M. S.

STEPH. HATHUANI de Hathuan,
Nob. Hungarus,

Loco & die ut supra.

- sal. Cap. V: 23. de tribus Hominis cœlitus
renati partibus : Cum perpetuis Annotatio-
nibus & vindiciis. Pag. 553.
- III. J. BALTH. BURCARDI Dissertatio Philo-
sophica de Assensu. Pag. 573.
- V. Mantissa Epistolica ad Controversiam de Ar-
gumento CARTESII pro Existentia Dei. Pag.
627.
- VI. Historia Vitæ & Obitus J. R. SALCHLINI,
*S. Th. in Acad. Bernensi Prof. & Collegii majo-
ris Praepositi*, breviter delineata a J. G. A. P:
641.
- VII. Vita SAMUELIS BATTIERII, *Med. Doct.
& Græc. Ling. Prof. in Acad. Basil.* Pag. 645.
- VIII. Vitæ MICHAELIS SZATHMARI, *Senio-
ris, S. Theol. & Ling. Hebr. Prof. Illustris Athe-
næi Pataicensis Rectoris Descriptio.* Pag. 649.
- IX. Nova Literaria. Pag. 654. fin.
-

Errores Operarum.

- Part. I. Pag. 3. lin. 16. *eorum. lege: earum.*
pag. 45. lin. 22. *in tales, lege: id est tales.*
- Part. II. Pag. 193. lin. 25. *offerri, lege: affери.*
pag. 221. lin. 3. *in Notis pro 1644 lege
1674.*
pag. 252. lin. 5. *Pannonni oris. lege: Pan-
non in oris.*
pag. 254. lin. 2. *hunc ad modum legi
vult doctiss. Autor: Pars animæ chartis
nobilis hisce latet*
- Part. III. pag. 377. lin. 1. *in Notis, propendit.*
lege: *propendet.*